APPARATUS
AD
HISTORIAM
SVEO-GOTHICAM
CELSIANI

SECTIO SECUNDA;

QUAM CONSENSU AMPL. ORD. PHILOSOPH. LUND.
EDI CURAVERUNT

H. REUTERDAHL,

PHIL. ET THEOL. D:R,

PRÆFECTUS BIBLIOTHECÆ LUND., ORDINI THEOLOGORUM ADJ.,

ET

JOH. MAUR. FLYBORG,

SCAN.

DIE 27 APRILIS 1842.

P. LVI.

LUNDÆ,

TYPIS EXCUDIT C. FR. BERLING,

UNIVERSITATIS TYPOGRAPHUS.

MDCCCXLII.

Aphorismi Respondentis.

I.

Sunt, qui contendant, linguas classicas parvam vel plane nullam afferre utilitatem, quod qvidem propositum facile refellitur; nam ab iis, qui ita judicant, quærere licet, num ii alia via aliisve adjumentis vim cogitandi, aciem judicii et perspicientiam rerum maximarum sint assecuti.

II.

Homini nulla est scientia pluris, quam illa, quæ docet nos, unum esse Deum, omnia attributa maxima in se continentem, eundemque Deum nobis providere et probos proemiis, improbos autem poenis afficere. Ergo scientia est prima nostra ætate cognoscenda et percipienda.

III.

Quod veteres sunt experti homines, "pietatem summam esse sapientiam," in dubium vocari nequit.

Item prebendati horisteras intermittentes, solvant dimidiam marcam Stockholmensem, nisi habuerint prebendatum substitutum officium hujusmodi supplentem. Si vero summam missam hujus festi omiserit, solvat tres marcas, ut superius est expressum. Nec debent officia prebendatorum per chorales suppleri, ut antiqvitus erat, eciam si duas missas vel duo officia eos simul habere contingat. Sed prebendatus prebendato succurrat, et hoc ipsi prebendati inser se ordinent.

Item statuimus, quod in festis duplicibus et totis duplicibus, Rectores sub Magnificat, Te Deum, Benedictus et Agnus, stent in choro ante pulpitum cum capis, sub Nunc dimittis vero superpelliciati tantum, advertendo ne error fiat in versibus incipiendo. Et hoc omnino observari volumus eciam si chorus per chorales sufficienter regatur.

Item sacrista qui in negociis sacristie occupatur tempore dicte occupacionis non tantum astringitur ut alii, dummodo officium suum in choro defectum nullum penitus paciatur.

Item tercia infra ebdomadem pentecostes cum majoribus horis censetur. Imo secundum hoc tardancie, absencie, et errancie persolvantur.

Item volumus, quod novicii non cogantur ad propinandum aliis choralibus, nisi tantum dimidiam marcham pro eorum jocundo introductu.

Item decrevimus, quod hujusmodi novicii non nimium constringantur in primis, sed successive et paulatim, ita quod nil solvant infra primam quindenam.

Item si quis choralium summam missam celebraturus omiserit, pena trium marcharum puniatur.

Item si missam in aurora omiserit, quam ex ordine celebrare tenetur, pena xii orarum puniatur.

Item si quis prebendatorum vel eciam choralium aliquam missam eis racione prebende injunctam vel alias assumptam debita hora pretermiserit, duabus oris monete currentis punietur, ex quibus quatuor ortuge capitulo, et duo ortuge campanario.

Item errantes tam in cantu quam in lectura, eadem pena puniantur qua tardantes multati sunt ita quod pro qualibet diccione in legendo, et

pro quolibet errore in cantando, sive fuerit una nota vel plures, aut totus chorus, secundum exigenciam sive differenciam festi puniantur, nisi fuerit facta confusio. Confusionem autem dicimus in hoc loco, quando unus vel plures aut totus chorus propter hujusmodi errorem inceperit succentare, quia errans statim in primis suum errorem corrigere non sufficit et pro omni confusione solvatur duplum secundum differenciam feriarum et festorum.

Item si quis choralium aliquem de libris majoribus puta antiphonarium, graduale, legendarium vel missale ad pavimentum projecerit vel cadere permiserit, solvat dimidiam marcham, sive hoc sub horis accidere sive alio tempore. Si autem aliquem de libris minoribus, solvat duas oras. Et si ligature vel asseres in tali casu franguntur, faciat de novo ligari vel reparari, nichilominus pena prescripta solvatur.

Item primus cantor claudat libros sub pena unius denarii pro quolibet libro in feriis; in festis secundum exigenciam festi solvatur et eadem pena puniatur pro negligencia eorum in custodiendo.

Item notarius sive tabularius notet tardevenientes, absentes, errantes, divagantes, aut quovis alio modo delinqventes. Si autem in hiis negligens fuerit favore, precio vel oblivione, non notaverit, et in capitulo non accusaverit, puniatur ipse tantum solvendo, quantum reus esset soluturus; nichilominus reus solvat penam suam.

Item quicunque choralium opprobriosum sive cotumeliosum verbum dixerit alteri in choro vel in capitulo, presentibus duobus et audientibus, solvat solidum Stokholmensem sine omni miseriordia. Opprobriosum verbum sive contumeliosum dicimus, si quis appellaverit alium mendacem discolum asinum vel simile. Qui vero aliter excesserit vocando alium furem vel latronem vel simile, presentibus duobus et audientibus, solvat unam oram Stokholmensem sine aliqua misericordia.

Item volumus et mandamus, quatenus capitulum choralium habeatur singulis sextis feriis hora xii post prandium tempore hyemali, et propter hoc aliquociens si necesse fuerit vel hora tarda exegerit, pulsus anticipetur.

Item, quicunque choralium aut prebendatorum suo tempore ad capitulum non venerit, solvat quatuor denarios Stokholmenses.

Item, quicunque in capitulo monitus per diffinitores silencium non tenuerit, solvat unum solidum Stokholmensem sine omni misericordia.

Item volumus et ordinamus, quod semper omni capitulo choralium prebendarii personaliter compareant sub pena unius ore Stokholmensis, quam penam infra triduum sub pena privacionis officii tenentur solvere, et in hujusmodi capitulo sic collecto prima pars, secunda vel tercia horis statutorum coram omnibus perlegatur.

Decrevimus, districtius precipientes, quatenus unus capitularium residencium cum uno prebendatorum secundum ordinem, et sacrista in capitulo choralium, semota omni personarum accepcione, diligencius audiant, diffiniant, et decernant, unicuique secundum premissa, statuta vel subscripta jus suum tribuendo.

Statuimus de novo et sub decreto obediencie mandamus, quatenus de cetero chorales habeant bursam communem, scrinium videlicet vel truncum non quidem innominatum duobus seris premunitum, in quo singule pene delinqvencium qvovis modo de propia bursa uniuscujusque delinqventis statim ante dissolucionem capituli per diffinitores fideliter imbursentur. Qui vero de pena quam solvere tenetur in primo capitulo non statim satisfecerit, vel saltem ante triduum post capituli dissolucionem delatus de hoc in secundo capitulo, solvat duplum. Et si usque ad tercium capitulum restiterit, nec satisfecerit choralis carceri mancipetur, donec hujusmodi duplum usque ad ultimum quadrantem persolverit. Et si adhuc rebellis extiterit, ab officio chori et consorcio choralium, et a participacione burse communis penitus sit exclusus. Prebendatum autem hujusmodi duplum non solvens, ut predicitur, ab officio volumus esse privatum.

Item de licenciis et substituendis in choro volumus de cetero sic servare, videlicet, quod illi chorales qui missarum celebracioni extra chorum in ipsa ecclesia intendunt aut qui in rure vel in civitate aliquibus suis arduis negociis emergentibus implicantur, post petitam licenciam et obtentam a prelato vel a seniore canonico residente, prelatis non presentibus, possunt duntaxat tempore hujusmodi ardue necessitatis in choro substitutos habere. Similiter qui in lectulis infirmitatum laborant, vel a suis superioribus vocantur et impediuntur. Nec volumus aut admittimus, quod aliquis choralium officio dispensacionis domorum vel negociacionis impediatur, quia nimis a choro distraheretur. Nemo siquidem duobus dominis servire potest. Chorus autem totum requirit hominem.

Supradicti igitur et nulli alii licencia et substitutis utantur. Pariformiter intelligatur de licencia et subrogacione prebendatorum. Si quis predictis legittimis impedimentis cessantibus substitutum habuerit in choro, solvat juxta exigenciam festorum ac si nullum substitutum penitus habuisset.

Statutum est in ecclesia Aboensi irrevocabilitar observandum, quod chorales Aboenses omnes et singuli visitent mensam unius capitularium, quem pro illo anno ipsi capitulares deputaverint, vel vicissitudinalis ordo tetigerit ad mensam hujusmodi exhibendum, et nullus dictorum choralium deinceps mensam in domo lajcorum habeat, sicut alias non sine scandalo ecclesie fuerat observatum. et quod illis pater familias temporaneus exhibeat in prandio fercula duo, in cena vero unum cum reliquiis prandii precedentis. Item detur illis cerevisia vulgariter dicta boordhool et herreoll minus til ii borgare stora ad placitum illorum.

Statuimus, districtius precipientes, quatenus nullus choralium sine licencia obtenta aliquem librum chori quòvismodo deportare presumat, sub pena dimidie marce ec.

Appendix I.

Statuta Synodalia Clerum Aboensem respiciencia, condita Anno Domini MCDLXXXmo.

(Ex cod. Cederhjelm.).

Quia qui religionem intraverint mortui mundo censentur. Nos Conradus episcopus Aboensis de consensu venerabilis capituli nostri statuimus synodaliter ista perpetuo observanda:

Primum, quicunque curatorum, vicariorum, vice curatorum, prebendatorum seu aliorum sacerdotum ingressus fuerit religionem, cujuscunque ordinis, eorum bona tripharia dividi debent intuitu ecclesie vel nomine sacerdocii acquisita, quorum prima pars cedere debet ecclesie cathedrali ad ejus instauracionem et ceteras suas necessitates relevandas.

Secunda pars cedere debet ecclesie parochiali aut vicarie vel prebende, cujus ex proventibus talia bona quesierunt. Tercia autem pars cedere poterit quam intraverit religioni.